

taril ejusdem Congregationi pro tempore existentium munitæ fuerint. Et ita sicut decretum Urbani VIII, a Barbosa, lib. I, *Juris ecclesiastici universi*, cap. iv, num. 83, relatum.

362. Ad declarationem Gregorii XIII, et Clementis VIII respondent, de eadem non constare authentices; cum igitur res hæc sit admodum ardua, et jam scientibus summis Pontificibus controversa, putant non tolli probabilitatem secunda sententia absque alia expressiori declaratione Pontificia. Ita olim Diana, part. I, tract. V, *Resol.* 2. Bassaeus, tom. I, §. *Casus reservatus*, n. 32, aliisque. Verum his non obstantibus.

363. *Sententia prior est tenenda.* — Resp. I. Ad quæstionem n. 350, positam. Quamvis secunda sententia, num. 353 et seqq. relata, olim probabiliter potuerit defendi, fueritque defensa a multis gravissimis viris non sine gavi fundamento, ut ex dictis patet: de facto tamen secus dicendum, et omnino tenenda est prior sententia num. 351, posita, idque ob novissimum decretum Alexandri VII, anno 1663, emanatum, sequentem inter alias propositionem tanquam scandalosam damnantis: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolitionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, die 18 Julii in consistorio S. Congregationis Eminentissimorum cardinalium visa et tolerata est.*

364. *Solvuntur argumenta contraria.* — Nec sufficit dicere præfatam propositionem esse damnatam propter ultimam particulam, de consistorio cardinalium falso attestantem. Nam contra urget; quia dicta propositione est damnata tanquam scandalosa: ex sola autem tali attestatione parum scandali sequi posset, nisi versaretur circa doctrinam cæteroquin falsam, que habetur in prioribus dictæ propositionis verbis, ac olim jam rejecta dicitur a SS. Pontificibus, et S. Congregatione concilii per ea, ac per declarationes num. 353 et num. 354, allegatas, si que ex professo damnata censemur. Et ideo P. Gobath, tract. VII, *Theologæ experiment.*, num. 270. novissimæ editionis, hoc unicum decretum Alexandri VII, secundæ sententiae opponit.

365. Neque urgent rationes a num. 357, in favorem secundæ sententiae allatae. Siquidem habent duntaxat locum stante dubio de

intentione legis; fallunt autem, si aliunde constet de contraria intentione legis, seu dispositione legislatoris, prout fit in proposito.

366. Ad id, quo declarationes num. 353, allegatas infirmare conantur, respondetur, verum quidem esse, quod declarationes cardinalium non probent, nisi in forma authentica afferantur juxta dicta num. 361, tamen etiam verum esse, quod ab irreverentia et temeritate vix absit, declarationes approbatis auctoribus (inter quos utique est Fagnanus, utpote S. Congregationis secretarius) relatas ex hoc solo rejicere, quod non afferantur in forma authentica, prout ex eodem Fagnano in *Proœmio*, § 8, num. 128, amplius diximus.

367. Quapropter sententia hæc in praxi ubique etiam in Germania est tenenda, non obstante multitudine casuum, quia ob hanc defendantur episcopis Germaniae speciales singulis quinquenniis renovandæ facultates absolvendi ab hæresi, et alias casibus Bullæ Cœnæ: prout in specie habet noster Reverendissimus ac Celsissimus princeps et episcopus Frisingensis juxta dicta lib. IV, in Appendix, num. 22, facultate 10, ibi: Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam Bullæ Cœnæ, in locis tamen, ubi impune grassantur hæreses; uti est Germania.

368. Resp. II. Sicut ab hæresi, ita ab aliis casibus Bullæ Cœnæ absolvendi potest alias vi concilii Tridentini episcopis competens, sublata est per eamdem Bullam communis doctorum; quia casus omnes in dicta Bulla æqualiter sunt reservati, et clausula potestatis derogatoria est universalis quoad omnes; ergo si ob hanc episcopus nequit absolvendi ab hæresi, nec ab alio Bullæ casu absolvendi poterit.

369. *Episcopus ut delegatus apostolicus potest absolvendi ab hæresi notoria, si reus illam prius abjurat.* — Resp. III. Quamvis juxta haec tenus dicta episcopus de jure communi nequeat absolvendi in foro interno ab hæresi, tamen de jure communi tanquam delegatus apostolicus id potest pro foro externo, casu quo hæreticus notorius hæresin prius abjurat, et pœnitens ad Ecclesiam reddit. Farinacius de *Hæresi*, q. 192, num. 52 et seqq. Castro Palao, de *Fide*, tract. IV, disp. 4, pun. 3, § 2, num. 23. Pirhing, h. t. n. 42 et alii, arg. c. *Ut officium*, prin. §. Si vero, h. t. in 6. Quia absolvio etiam in foro interno eatenus juvat; quatenus sublata de

### § VII. DE POTESTATE ABSOLVENDI AB HÆRESI, ETC.

311

absolutionem episcopi excommunicatione, quivis dein confessarius, a peccato hæresis absolvere queat. Ita doctores citati.

370. *Virtute specialis facultatis episcopi Germanie absolvunt a quavis hæresi.* — Porro virtute specialis facultatis possunt episcopi Germanie pro utroque foro absolvere hæreticos, juxta dicta num. 367. (ADNOTATIO XXII.)

371. *Impeditus personaliter accedere Papam, nequit per episcopum absolviri a casibus Bullæ Cœnæ juxta aliquos.* — Quæritur II. An impeditus adire summum Pontificem possit jure ordinario, et secluso speciali privilegio a proprio episcopo absolviri ab excommunicatione propter hæresin in ora, et aliis censuris Papæ etiam in Bullæ Cœnæ reservatis? Non enim desunt, qui negative respondent, quos citat Diana, part. XII, tract. de *Conclavi*. *Resolut.*, 24, atque ex parte sequitur ibid. *Resolut.*, 25. Rationem dant, quia tantum articulus mortis excipi solet in reservatione censorum summo Pontifici facta. Quo non obstante.

372. *Juxta communem vero, et probabilem potest.* — Resp. Potest episcopus impeditum personaliter adire Pontificem vel in perpetuum, vel ad longum tempus, absolvendi ab hæresi, et aliis casibus vi Bullæ Cœnæ reservatis. Diana cit. *Resolut.* 24. Layman, lib. I, tract. V, part. II, cap. vi, num. 5, qui ex communi doctorum ponit hanc regulam: Casus Papalis superveniente impedimento adeundi Papam, sit episcopal; quia id congrua subordinatio inter prælates require videtur. Castro Palao, de *Fide*, tract. IV, disput. 4, pun. 3, § 3, a num. 4. Abbas, in c. *de Cætero de sentent. Excomm.* num. 1. Navarrus, in *Summa*, c. 27, num. 89. Sylvester, §. *Absolutio*, 4, num. 7. Felinus, in c. *Quamvis de sentent. Excommunicat.* Navarrus, cap. xxvii. Ancharenus, in c. *Eos qui eod. in 6. Covarruvias, in c. Alma Mater*, p. I, § 11, num. 15, cum communi. Ratio est, quia, ut notant citati doctores, ejusmodi impedimentum perpetuum, vel ad longum tempus reputatum tanquam verus articulus, seu periculum mortis in ordine ad impetrandum dictam absolutionem ab alio, quam a Papa. Probatur hoc ex eo; tum quia sic impeditus moraliter est certus, se non posse ante mortis adire summum Pontificem pro obtinenda absolutione; tum quia frustra et inutiliter, imo et pericolose talis exspectabit verum articulum mortis; cum jam antea et

semper sit necessaria absolutio, sitque periculum tandem, sine abolitione decadendi, si non posset hanc prius saltem a proprio episcopo obtinere.

373. *Probatur ex jure.* — Probatur idem ex jure canonico, c. *Mulieres*, c. *de Cætero*, et c. *Ea noscitur. de sentent. Excommunicat.*, ubi expresse datur episcopis facultas absolvendi ab excommunicatione Papæ reservata, et incusa propter gravem percussionem clerici, si excommunicatus ob capitales inimicitias, infirmitatem, senectutem, sexum muliebrem, vel alias justas excusationes, quibus in itinere rationabiliter excusat, sine periculo se nequeat suspectui præsentare: dummodo talis juxta facultates suas parti lœsæ satisfaciat, simulque præstito juramento eidem injungatur, ut cessante impedimento, aut sanitate recuperata Romanum Pontificem, vel legatum ipsius adest, mandatum Apostolicum accepturus; prout exprese habetur utroque, loc. cit. Concordat, c. *Quod de his*, 20, c. *de Monialibus*, 33, et c. *Quamvis*, 58, de *sentent. Excommunicat.*

374. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod in citatis capitulis fiat sermo de excommunicatione et percusione clerici contracta, quæ in c. *Si quis suadente Diabolo*, 17, q. 4, extra mortis periculum summo Pontifici reservatur. Resp. enim, eamdem rationem, ac proinde idem jus esse in omnibus excommunicationibus reservatis, ut tradunt communiter doctores. Nam id concedunt jura, ne excommunicatus ob impedimentum adeundi Papam moriens sine absolutione incurrat periculum salutis æternæ. Adeo c. *Eos qui de sentent. Excomm.*, in 6, ubi Glossa §. *Canonis*, hoc extendit ad alios casus jure communis Papæ reservatos.

375. *Debet tamen ab episcopo absolutus obligari, ut cessante impedimento adest Papam.* — Resp. II. Quamvis episcopus possit impeditos personaliter ire Romam, absolvendi a casibus Papalibus Bullæ Cœnæ, tamen debet eis sub juramento injungere, ut cessante impedimento illuc se conferant. Communis et certa ob clara jura n. 373, citata.

376. *Nisi episcopus habeat speciale facultatem absolvendi.* — Dicitur autem notanter: Spectato jure communi: nam aliud erit, si episcopus habeat speciale privilegium absolvendi, juxta dicta num. 367. Deinde etiam spectanda erit consuetudo locorum. Nam episcopi in locis Roma remotioribus, præ-

cripsisse possunt jurisdictionem absolvendi impeditos hujusmodi, sine onere, quod reo imponere debeant obligationem sistendi se Papæ, vel ejus legato, prout post Navarrum notat Layman, loc. cit. num. 6, lib. I, tr. V, p. II, cap. vi, num. 6.

377. *Solvitur instantia.* — Nec refert, quod contra Bullam Cœnæ nulla fieri queat præscriptio juxta dicta n. 90. Quia obligatio, qua tenetur episcopus impeditis ire Romam injungere, ut cessante impedimento illuc se conferant, non est a Bulla Cœnæ, sed a SS. canonibus, num. 373, citatis, contra quos bene valet præscriptio.

378. *Referuntur in compendio impedita adeundi Papam atque declarantur.* — Quæritur III. Quænam censeantur in jure esse impedimenta adeundi Papam? Resp. esse septemdecim, quæ inter alios singillatim declarantur a Sylvestro y. *Absolutio* 4, n. 3 et sequentibus versiculis comprehenduntur.

*Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis, Deliciosus, inops, ægerque, senesque, sodalis, Janitor, adstrictus, dubius, cause, levus ictus, Debilis;* absolví sine summa Sede merentur.

379. Ex his ly regula, denotat regulares, qui per suum superiorem absolvendi sunt; prout in religionis favorem, et ut evagandi materia subtrahatur, habetur statutum, c. *Monachi*, 2, et c. *Cum illorum*, 32, de sentent. *Excommun.* Intellige, nisi excessus illi sint difficiles ac enormes, ut ibid. subditur.

380. Ly mors denotat mortis articulum, de quo habetur c. *Non dubium.* de sentent. *Excommunicat.*, et alibi. Per ly sexus denotantur mulieres: nam hæ ob fragilitatem sexus impediuntur a longis itineribus. Deinde ly hostis significat habentem capitales insidias, ob quas metu mortis, aut alterius gravis damni sibi ab hostibus inferendi prohibetur ab itinere ad Sedem Apostolicam. Et hi proinde possunt absolví ab episcopo, ut habetur, c. de *Cætero*, et c. *Ea noscitur. de sentent. Excommun.* Adde pueros, senes, ægros, debilesque, ut habetur, loc. cit., juncto c. *Quamvis*, et c. *Pueri*. eod.

381. Porro ly officialis indicat eum, qui in causa percussionis clerici arcendo turbam casu fortuito (non tamen absque omni culpa); clericum percussit. Huc adde janitorem seu ostiarium, sub prætextu sui officii clericum male percutientem: nam uterque absolví potest ab episcopo, nisi forte cleri-

cum graviter vulneras et, ut dicitur c. *Si vero*, il. 1, de sentent. *Excommun.*

382. Ly deliciosus, loquitur de delicatis, id est, de his, qui magnæ sunt potentiae, simulque N. B. ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeunt sustinere ut explicatur, c. *Mulieres, de sentent. Excommun.*

383. Per ly inops insinuantur "pauperes, seu inopia impediti, quominus Romanum Pontificem possint adire, ut dicitur c. *Quamvis, de sentent. Excommun.* Nec obstat, c. *Ea noscitur*, eod., ubi pauperes jubentur Sedem Apostolicam adire, Resp. enim cum Glossa hic, in priori loco sermonem esse de his, qui tanta paupertate laborant, ut ad Curiam ire non possint: in posteriori vero textu sermonem esse de his, qui possunt ire, licet pauperes sint.

384. Ly sodalis in causa percussionis clerici importat clericos viventes in communi, et in una domo vescentes, et sub eodem tecto quiescentes; qui pariter ob mutuam percussionem possunt ab episcopo absolví, nisi forte atrocitas facti poenam graviorem exspectet, ut habetur c. *Quoniam. de vita et honestat. clerici.*

385. Ly adstrictus denotat obligatos seu subjectos alterius potestati: ut sunt servi, qui non sunt sui juris; item filiifamilias. Nam hi non possunt ire Romam invitis dominis, vel parentibus, atque ideo ab episcopo possunt absolví, arg. c. *Mulieres.* et c. *Relatum de sentent. Excommun.*

386. Per ly dubius rursus in causa percussionis clerici, insinuat ille, de quo publica fama est, quod verberavit clericum: nam hic ad arbitrium episcopi de hoc (si id neget) vel debet se purgare, vel ab ipso ad cautelam absolví. Ita habetur c. *Cum desideres. § Secundo de sentent. Excommun.*

387. Ulterius per ly levis ictus, intelligitur levis percussio clerici; nam excommunicatus pro levi manuum injectione in clericum potest per episcopum absolví, arg. c. *Pervenit. eod.*

388. Tandem per ly causæ, intelliguntur aliæ justæ excusationes, quibus quis ab iniuria ad Sedem Apostolicam amplectendo pro obtinenda absolutione, rationabiliter excusatur arg. c. de *Cætero. de sentent. Excommun.*, ibi: Alias iustas excusationes. Quæ quia possunt esse multiplices, in iis dijudicandis stabitur arbitrio boni viri, arg. c. *de Causis de Offic. Delegat.* Plura de his omnibus Sylvester, loc. cit., et alii.

### § VIII. DE POTESTATE ABSOLVENDI AB HÆRESI, ETC.

389. *Inter quæ juxta aliquos etiam frequentia casuum est.* — Porro ad hoc ultimum reducitur ab aliquibus nimia frequentia Casum, ob quam posse episcopum absolvere a casibus Papalibus, docent plures doctores, ut Pirhing, h. t. n. 42. Layman, in *Conclusionibus canonicis*, concl. 73, et Henricus Wagnereck, in c. *Licet. de Offic. vicarii*, in 6, cuius doctrinam etiam refert Gobath, tract. VII, *Theolog. experim.*, num. 371, in Appendix. et alii. Siquidem, ut loquitur citatus Pirhing, cum ob nimiam frequentiam et multitudinem absolvendorum, adsit necessarium et videns impedimentum eos mittendi Romam ideo tales casus Papales fiunt episcopales, quamvis majoris securitatis gratia aliqui episcopi talem potestatem a Papa petere soleant.

390. Adde verba citati Wagnereck a citato Gobath, relata et approbata que sic sonant. « Quod ad episcopos Germaniæ attinet, recte meminisse jubet Layman, loc. cit. n. 73; doctrinæ, quam doctores uno ore non solum tanquam æquum, verum etiam necessarium tradunt, Casus Papales ob nimiam frequentiam, vel impedimentum adeundi Papam, fieri episcopales. Quod vel maxime locum habet circa hæreticos in Germania; imo et in aliis casibus: ut confidenter existimet cum eodem Laymano, securitatis esse potius, quam necessitatis, si episcopi Germaniæ potestatem absolvendi hæreticos, quantumvis notorios a Pontifice specialiter petant. » Hactenus citatus Henricus Wagnereck.

391. *Contrarium est verius.* — Verum quamy's ob impedimentum adeundi Papam episcopo potestatem absolvendi ab hæresi, et aliis casibus Bullæ Cœnæ attribuamus cum communi aliorum, juxta hactenus dicta a num. 371, tamen ob frequentiam casuum id asserere non audemus, cum huic aliunde satis caustum sit, hoc ipso, quod Germaniæ, et aliis remotioribus episcopis soleant dari speciales facultates a dictis casibus absolvendi, prout jam supra num. 367. diximus.

392. *Bulla Cœnæ non potest non recipi.* — Pariter non approbamus fundamentum, quo ad propositum utitur Martinus Becanus (a Laymano proxime citato r'latu) 2, 2, cap. xv quæst. 2, n. 6, dicens, Bullam Cœnæ Domini in multis Germaniæ partibus non ess usu receptam; cum juxta dicta a n. 81, Cœnæ Bulla licite non possit non re-

cipi, et nulla contra illam consuetudo aut præscriptio legitime fieri valeat.

393. *Impeditus personaliter adire Papam, non tenetur mittere procuratorem, aut scribere pro absolutione.* — Quæritur IV. An quis in casu, quo impeditus personaliter adire Papam, teneatur mittere procuratorem, vel scribere ad sacram Pœnitentiarium pro obtainenda absolutione a censuris Papæ reservatis? Resp. Negative cum Diana, loc. cit. Resolut. 24, § *Nec in tali casu.* Barbosa, part. 2, de *Offic. et potestat. episcop. Allegat.* 41, num. 7. Bassæo, y. *Absolutio*, num. 30. Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. xiii, num. 44. Palao, de *Fide*, tr. IV, disput. 4, pun. 7, § 5, num. 7, cum communi aliorum. Ratio est, quia iura solum exigunt, ut reus personaliter aeat Papam, seu ut Apostolico suspectui se præsentet; ergo si hoc non potest, ad aliud a jure non impositum minime tenetur.

394. Hinc Navarrus, cap. xxvii, *Manualis*, num. 90, ad 5, tum. recte inquit: Justum habet impedimentum is, qui ire non potest, licet pro absolutione mittere possit, non enim ad id jus obligat, sed vult, ut, si possit, vadat. Hæc ille. Cum igitur, ubi lex non aggravat, neque nos aggravare debeamus, dicendum restat, quod laborans impedimento personaliter adeundi Papam, non teneatur mittere procuratorem, vel epistolam ad S. Pœnitentiarium pro absolutione: quamvis in praxi hoc posterius observari dicatur, præsertim in locis ab Urbe parum distantibus, atque ad majorem quietem et serenitatem conscientia recte fiat, ut observant doctores apud citatum Dianam, Resolut. 25. assert. 3.

### § VIII.

DE POTESTATE ABSOLVENDI AB HÆRESI, ET ALIIS CASIBUS PAPÆ RESERVATIS COMPETENTE ALIIS CONFESSARIIS PRÆSERTIM TEMPORE JUBILEI, ET IN MORTIS ARTICULO.

395. *Impeditus personaliter adire Papam potest secundum aliquos a quovis confessario absolvri.* — Quæritur I, an impeditus adire Papam possit a quocunque confessario absolvri a casibus Papalibus, etiam ad hæresi? Resp. Duplicem esse circa hoc opinionem doctorum. Et quidem affirmativam tuentur Palao, de *Fide*, tr. IV, disp. 4, pun. 3, § 5, n. 4. Bart. Loth, et Vericelli, a Diana, cit.